



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

6. Proximi iuuandi gratia, dat operam litteris. acriter in vitam eius doctrinamque inquiritur, sed sana sanctaque deprehenditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

CAPVT. VI.

*Proximi iuuandi gratia, dat operam
litteris. acriter in vitam eius doctrinam
que inquiritur, sed sana sancta que de-
prehenditur.*

Repetiuit Hispaniam Ignatius ma-
gna Deo seruiendi cupiditate in-
census in eo genere vitæ, ad quod ab
eo vocaretur, omnibus tamen in re-
bus proximi salute proposita. Capto
igitur maturo cōsilio reque Deo com-
mendata, studia decreuit amplecti; vt
ad diuinam gratiam etiam litterarum
lumen accederet. Quamobrem id
ætatis vir annum enim agebat trigesi-
mum tertium, Hieronymo Ardeballo,
Iudimagistro Barcinonensi, viro in
primis bono & pietatis laude præstan-
ti, in disciplinam se tradidit primis
grammaticæ præceptis imbuendum.
Elisabetha interim Rosella quam dixi-
mus, matrona pia & nobili, omnia ei
ad victum necessaria suppeditante.
Tantus eum diuini amoris vis sui que
peruincendi ardor incesserat. Vnde

Dat
operã
litteris.

B 3 tametsi

tametsi dæmon in varias se figuras conuerteret, & nihil non ad labefactandum Ignatium à studioque reuocandum moliretur: magis tamen Dei gratia animique constantia ad perseverandum, quàm hostiles machinationes ad eum frangendum, fraudesque valuerunt.

Barcinone stomachi morbo leuari sibi visus est, quamobrem ad solitam poenitentiae seueritatem reuersus, cuius feruorem propter inualetudinem grauissimosque tanti itineris labores intermiserat, calceos ita perforauit vt rescissis tantummodò soleis integra superiori parte ad ostentationem vitandam ineunte hieme nudis plantis incederet. Neque verò solum in hoc sed in reliquis etiam poenitentiae studiis eandem rationem seruabat.

In hac vrbe duo commemoratione digna contigerunt, in quibus patientiae & caritatis exempla monstrauit. Primum cum certum & exploratum haberet, petulantes quosdam adolescentes liberius frequentare sacras virgines coenobij Angelorum è Dominicana

nicana

nicana familia, quod extra muros vr-
bis ea tempestate situm erat, his per-
suadere conatus est, vt ad vitandas
occasiones illos aditu prohiberent,
animumque ad veram pietatem & re-
ligionem adiungerent. Cùm verò
procaces illi huius consilio sibi ianuas
occlusas esse cognoscerent, primùm
minas intentare, tum ex insidiis oc-
cupatum Ignatium adeo graui fu-
stuario multare, vt æger inde decum-
bere cogeretur. Nec sic tamen eius
animi fortitudo potuit ab incepto
retardari: quinetiam latabatur, quia
dignus fuisset pro nomine I E S V con-
tumeliam pati. Alterum fuit eiusmodi:

Cum ex Angelorum cœnobio rediret
Ignatius hominem ad viam Lullia-
nam impulsu dxmonis ex ædium sua-
rum trabe laqueo suspensum audiuit,
eò celeriter aduolauit, & pendentem
ex infelici tigno restem abscidit: ac
tametsi de eius morte nemo dubita-
ret, humi tamen abiectus pro hominis
salute Deum orare supplex institit,
hominemque appellauit, & ecce ita
restitutus est sensibus, vt peccata sa-

Ob
impe-
dita
pecca-
ta fu-
stua-
rio ex-
cipitur

Cui-
dam
qui se
suspen-
derat,
vitam
spa-
tium-
que
confi-
tendi
impe-
trat.

cerdoti confiteretur, actum demum animam inferorum faucibus ereptam Deo redderet. Ea res consideratis omnibus miraculi loco habita breui vniuersam ciuitatem famâ compleuit.

Barcinone biennium exegit ad studia grammaticæ intentus: tum verò de quorundam eruditorum hominum sententiâ anno CIO. IO. XXVI. Complutensem Academiam ad capeffendas altiores disciplinas petiuit. Ibi cum ad publicum nosocomium diuertisset, consilio nonnullorum eum cuncta celeriter & promptè deuorare cupientium Dialecticam & Physicam & Magistrum sententiarum non sanè felici successu simul aggressus est. Ea quippe multitudo & varietas intelligentiæ tenebras offudit, & memoriæ perturbationem confusionemque attulit. Sed cùm studio caritatis arderet, & hominum non solum animis sed etiam corporibus opitulâdi desiderio flagraret, nec continuis studiorum laboribus fractus, nec ostiatim mendicandi cura debilitatus, eodem tempore pueris aliisque rudioribus fidei rudimenta

rudimenta tradebat, compluribus aliis per orationem & meditationem virtutis viam monstrabat, stipemque cogebat ad sustentandam eorum egestatem quos maiori inopia laborare cognouerat. Ea res in hac Academia magnam admirationem effecit, sed tum potissimum cum Ignatium nudis pedibus, lanea tunica natiui coloris amictum viderent, neque differrent ab eo vestitu tres eius contubernales, qui virtutis illius exemplo permoti idem vite genus profitebantur: sicut & alius quidam adolescens natione Gallus qui ad eandem societatem accesserat: quò fiebat, vt etiam per iocum vulgò tunicatorum societas nominaretur. Ea nouitas de Ignatio eiusque sociis variorum vulgo sermonum ansam dedit, dum quisque quod viderat, quod audierat ex animi sui sententia vel mitiorem vel in deteriorem partem interpretatur. Sed cum Ioannes Figeroa vicarius Archiepiscopi Toletani, qui postea Regio consilio prefectus in Regno Castella descendit è vita, diligenter in mores &

doctrinam inquisiisset Ignatij, nihil tamen nec in moribus nec in doctrina nisi sanum comperit, quod & suo testimonio comprobavit. Nihilominus ut virtus eius & veritas magis eluceret, ob quorundam calumnias vanasque suspiciones, duos & quadraginta ipsos dies in publica custodia est habitus, quo tempore dici vix potest, quantas, quam liquidas animo hauserit voluptates, quod patiendi pro Christo vel innocenti sibi oblata esset occasio. Non deerant interim magnæ auctoritatis viri, qui pro singulari in ipsum amore suam operam offerrent ad eum vinculis eximendum. Sed adduci nunquam potuit, ut à quoquam causæ suæ patrocinium suscipi pateretur; neque enim id necessarium sibi putabat qui innocentiam fretus totus à diuino nutu pendebat; ad hæc, si quem forte errorem admisisset, cupiebat videlicet ab ecclesiasticis magistratibus corrigi, quorum ei semper antiquissima fuisset auctoritas. Tandem vero cum sexcūdus & quadragessimus dies abiisset, vnà cum sociis ut innocens est absolutus,

lulus,

lutus, & omni culpæ suspicione liberatus.

Aliud B. Patri contigit in eadem vrbe mirabile: A vicario dimissus è carcere, eodem quo ceteri scholastici genere vestis vti iubebatur: atque ad eam rem vicarius Ioanni Lucenę homini caritatis officiis dedito mandauit, vti stipem per compita cogeret: cùm verò huic rei intenti ambo ciuitatem obirent, si equens forte populus lusum pilæ spectabat ante domum viri è primaria nobilitate, cuius nomen iusta de caussa reticetur. Is huiusmodi collectæ caussa cognita, conuersis in Ioannem Lucenam oculis ira commotus, & quî inquit, conuenit te eo loco virum huc te abjicere? addiditque indignans: Ardeam ego, si hic, pro quo stipem corrogas, rogo dignus non sit. Ea vox grauiter eorum aures vulnerauit quibus B. Patris sanctitas erat spectata & cognita. Eodem die peroptatus de Philippi II. Regis ortu nuntius venit, vnde factum, vt Compluti totaque passim Hispania triumphales ignes excitarentur, dum ergo
idem

Nobi-
lis ro-
gum
Igna-
tio im-
preca-
tus,
eodem
die cō-
flagrat

idem hic nobilis in turrim domus suæ
tormentario puluere instructam ad
ignes artificiosos adscenderet : ecce
ibi temerè illapsâ scintilla puluere-
que correpto, horribili casu cum turri
perustus interiit. Id ubi Patri nuntia-
tum est præ commiseratione dolore-
que illacrymans : Hoc ipsum, inquit,
hodierno die manè domum eius me
prætereunte sibi ipse fuerat impreca-
tus, ego quidem certe, id ei nequa-
quam optavi. Eius euenti repentè to-
tam urbem fama peragravit, fuitque
in miraculis habitum ad illustrandam
huius Ignatij sanctitatem. Compluto
Dominum Fonseca Archiepisco-
pum Toletanum Valissoleti commo-
rantem sibi adeundum putavit. A quo
perbenignè acceptus, operaque sua &
suorum ad omne officium humanita-
tis prolixè delata, viatico insuper in-
structus Salmanticam venit. Ibi ne-
quaquam sibi quiescendum ratus, pro
sua consuetudine cœpit animos ho-
minum excitare atque ad virtutem ac
pietatem cohortari, quo factum est, ut
paucis diebus eius fama adeo percre-
buerit,

buerit, vt religiosi quidam viri metu periculi, reique nouitate & populi concursu permoti, qui frequens ad eum audiendum ventitabat, simul etiam ne in sanctitatis nomine malum aliquod occultum lateret, cui facile postmodum occurri non posset, pro suo caritatis ardore rem ad Vicarium detulerunt. Eorum ergo consilio Ignatius vnà cum socio habetur in vinculis, & ferrea catena bene longa vterque simul ita constringitur, vt alter sine altero neque progredi neque loco mouere se posset. Verùm nec in custodia incitatus ille solitarum exercitationum cursus elanguit: ponebat ob oculos pulcritudinem virtutis, vitij foeditatem, animos audientium ad despicientiam rerum humanarum incitabat. Magni ad eum audiendum fiebant concursus, fructusque respondebat minimè pœnitendus; exultabat inter hæc animo, cum se pro Domino catena vinctum conspiceret. Mortemque pro eo subire vehementer optabat, quem pro se sublatum in crucem meminerat. Eorum

Sal-
man-
tica in
vincu-
la con-
jicitur;
in
eum-
que
inqui-
ritur.

verò

Vita
eius &
doctri-
na fan-
na
sancta
que
pro-
nun-
ciatur.

verò qui ad se consolandum venie-
bant dolorem, & inanem commiserationem eò redarguebat, quòd immen-
sos in cruce Christi thesauros recon-
ditos ignorarent. Duobus & viginti
diebus in iis vinculis, lati atque ala-
cres fuere; abundè suppeditantibus
necessaria amicis, quamque in Igna-
tio viderant sanctitatem mirificè dili-
gentibus. Tandem Baccalaureus Frias
Vicarius, adiutus eruditorum consilio
innocentes per sententiam absoluit,
eorumque vitam & mores ab omni
labe puros, integrosque pronuntiauit.

CAPVT. VII.

*Parisiis studiorum causa concedit, ubi
quodam iuuenes quosdam ad pietatem
alliceret, periculum adit plagarum at-
que infamia; at Dei nutu liberatur.*

Consultò Deus Ignatium reserua-
bat, vt multorum liberorum pa-
rens existeret, ideoque cursum eius
aduersis licet procellis dirigebat in
portum, ad illud gerendum negotium
ad quod eum ante delegerat. Quocir-
ca ad